

Richard Bartholinus¹⁾ an Vadian.

Innsbruck. 1516. März 31.

Mitteilung über die Reise des Jakob Spiegel von Strassburg nach Augsburg und Innsbruck. Bitte an Vadian, den Druck der Anmerkungen zu seinem Werke zu beschleunigen. Berichte vom Kriege bei Mailand.

Riccardus Vadiano suo s(alutem). Iacobus Spiegel, tui etiam amantissimus, ex Argentina Augustam prius, demum Inspruck ad nos venit. Primus mihi opus meum, quod secum ex Argentina advexerat, ostendit ac insuper quasdam emendationes, quas ipse libros obiter legendo confecerat. Cuius officium ac potius labor, quo habita fuit ratio honoris mei, summopere placuit, fuique illi tum praesens aliquando,

tum etiam exemplari, quod penes me retinueram, non mediocri auxilio ad rem confirmandam. Quæ scripsit, per transitum (ut aiunt) collegit. Multa adhuc supersunt, quæ se maioribus annotationibus emendaturum pollicetur. Interim rogo te, mi Vadiane, et quia honori meo consultit, et quia tibi annotationunculas dedicavit, operam des, ut Leonardus noster bibliopola maturius, quam poterit, imprimi isthic faciat, ut una cum opere ipso aut paulo post correptiones^{a)} veneant, quod non solum nobis consultum erit, sed etiam sibi; nam ut opus sine mendis habeatur, ad has quoque emptorem alliciet. — De Helvetiis tuis nihil habeo, nisi quod, si fidem præstabunt, plus quam viri existimabuntur. Cæsar Mediolanum obsedit; hostes intra urbem sunt, qui, ne aditus Cæsarianis tuto dari posset, suburbia duo incenderunt, quæ longe maiora quam tres Viennæ fuisse prædicant. Summam in se Galli populi invidiam concitarunt. Cæsar hostem ad pugnam invitavit, qui tanquam pecus iners intra septa delitescit; arbitramus (!) nos militares viri, illos aut fame perituros^{b)} aut pugnam inituros, aut, quod salubrius erit, fugam capturos. Quicquid futurum sit, Cæsareo exercitui consulet; quamquam Helvetii tui sitibundi ultionis et acceptæ cladis mallent ruere in vulnera, quam fugientem hostem cernere aut tabidum fame consumere. Collimitio meo per alias literas me commendatum reddidi; tu cura, ut emendationes imprimantur. Vale. Ex Inspruck, die ultima Martij MDXVI.

Riccardus tuus.

arhs
Erudito viro ac oratoriq̄ . . . *professori Ioachimo Vadiano*
tanquam fratri honorando.

Viennæ.

a) „coreptiones“. — b) „periturus“.

l) *Richard Bartolini* aus Perugia, den Kaiser Maximilian zum Dichter krönte, war Hofcapellan des Cardinals von Gurk, Matthæus Lang, und beschrieb die Reisen desselben in seinem Odeporicon.